

stris per Bononienses Bondonium venit. Hinc secundo 1439  
 Pado impedimentis Clodiam missis, per Ferrariam paten-  
 tibus portis Gorium se contulit: ex Gorio mox Hadriam  
 transiit, unde proximus sinus Hadriacus primo, inde Ha-  
 driaticus nominatus est. Fuit id Thuscorum oppidum,  
 atque diu præpotens. Verum nos hæc ideo admonuimus,  
 ne ab Hadria quæ in Piceno est, nomen mari inditum  
 crederetur. Florentissimum hunc exercitum omnium spe  
 celerius Venetæ opes in Patavinos fines traduxere quatuor  
 ingentibus vadis, quibus erat transmittendus. Multis siqui-  
 dem locis tractus ille littoralis, aut flaviis in mare emit-  
 tentibus, aut maris æstu perrumpitur. Ad Gorium primo  
 ex fluminibus Padi unum ponte superatum, quem duo &  
 triginta longiores scaphæ anchoris fundatae expleverunt:  
 strata erat asseribus pontis longitudo tenui sabulo desuper  
 aspersa; perticæ hinc inde affixaæ, ne motu pontis equi  
 perterriti in subjectas aquas præcipitarentur, erantque ad  
 illius præsidium duodecim naves ad pugnam instructaæ,  
 quæ, si quis superiore parte fluminis ab hoste impetus factus  
 esset, pontem ipsum ab injuria tutarentur. Ferunt his lo-  
 cis Sforcianos pro prodigio habuisse, & quod Padus ita  
 repente intumuerit, ut parum abeffet quin, aggeribus re-  
 fractis, castra, quæ non procul ab ipso flumine metati  
 fuerant, subita inundatione demerserit: & quod vis in-  
 gens serpentum ipsa militum tabernacula circumfederit.  
 Alterum vadum ad Fornaces, quatuor & quadraginta lin-  
 tres arctissimo nexu juncta exhibuere. Hic locus, quia  
 hostium insidiis aliquanto opportunior fuit, duodecim  
 galeones armis & propugnatoribus instructos habuit; cen-  
 tum ad id sagittarii pontem prædio tenuere. Tertius ad  
 Athesis ostium circa Fossiones quaternis vicenis scaphis  
 est compactus: quo superato, secus maris littora ad Brun-  
 dulum copiæ sunt traductæ. Hac quoque trajectus exerci-  
 tus: quia amplissimum erat vadum, ponte omnium lon-  
 gissimo nonaginta navibus expleto. Hinc ad portum,  
 quem Clodia Venetias versus habet, Sforcia progressus,  
 trecenta navigia ad convehendas in continentem copias

1440